



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs VIII. De prædicatione concretorum, & abstractorum, & quinque
prædicabilia spectantium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

immoremur: haud enim reculamur, quin ita possint reduci ad pauciora, quam quinque: illud largiri non possumus, nec debemus, communioem sententiam, ea quinque dispartientem, propterea esse refutandam.



TRACTATUS VIII.

De prædicatione concretorum, & abstractorum ad quinque prædicabilia spectantium.

C A P V T I.

Quid de eorum prædicatione nobis verius videatur.

1.  Sfero primò: abstracta substantialia ratione quidem, sed sola inuicem distincta, nihilominus possunt inuicem verè prædicari: quare hæc prædicationes sunt veræ, humanitas est animalitas, humanitas est rationalitas, animalitas est conuerso est humanitas, rationalitas etiam est humanitas, animalitas est rationalitas, rationalitas est animalitas. Ita quoad quatuor priores propositiones Fonseca lib. 5. metaph. cap. 28. quæst. 13. sect. 4. Oñe qu. 3. vniuersalium art. 3. Masius quæst. 6. Mercadius in cap. de genere. Canter. cap. de differ. & plures alij quos suppressis nominibus refert Rubius in logica tractatu de natura entis rationis num. 11. Ita etiam tum quoad quatuor illas priores propositiones, tum quoad duas posteriores, Sotus in prædicabilibus quæst. 3. art. 2. post medium. Hurtadus citata disputat. 3. sect. 3. Arriaga disp. 4. logic. sect. 9. subsect. 2.
2. Suadet autem ea assertio hunc in modum: identitas realis subiecti, & prædicati sufficit ad veritatem enuntiationis neutiquam reduplicatiuæ: prædictæ enuntiationes nulla particula reduplicante sunt affectæ, earumque prædicata subiectis sunt realiter eadem: quidni ergo sint veræ? Item secundo: hæc ipsa de causa, videlicet ob realem identitatem nulla reduplicatiue adiecta affirmatam, verè inuicem prædicantur abstracta accidentium, necnon concreta, tum accidentium, tum etiam substantiarum: harum ergo abstracta similiter poterunt absque ullo falsitatis periculo inuicem prædicari: Rursus tertio: de humanitate eius essentia ac definitio verè prædicatur: ea autem alia non est quam animalitas, & rationalitas: hæc igitur de illa verè prædicantur. Præterea quarto: hæc prædictio est vera; hæc humanitas Christi v. g. est humanitas: ergo etiam hæc erit vera, humanitas est animalitas: antecedens est per se notum, & à nemine, quem viderim, non admissum: consequentia perspicua: cur enim abstractum speciei de abstracto indiuidui, nempe huius hominis, verè prædicari queat, & non abstractum generis de abstracto speciei. Quintò: & recidit in idem: hæc propositio est vera, hæc animalitas est animalitas: quidni ergo & ista, humanitas, siue quod iuxta est, animalitas rationalis est animalitas.
3. Sextò: hæc prædictio, vel iuxta plerosque aduersarios est vera: paternitas est essentia diuina, siue deitas, nimirum quia, licet subiectum sit abstractum

Patris & prædicatum Dei, tamen alterum cum altero realem habet identitatem: par conditio est huius propositionis profectò verissimæ, iustitia diuina est eius misericordia, vbi nihilominus abstractum de abstracto, iusti scilicet de eo quod est misericordis, enunciatur: cur non ergo similiter in creatis, abstracta de abstractis secum realiter identificatis prædicentur? quod si paternitas diuina non solum re sed ratione includat naturam, ac deitatem, & iustitia diuina misericordiam (an enim ita se res habeat, vel secus, impræfens non definitio) adhuc valet nostrum argumentum, si non vt probet, animalitatem verè dici de rationalitate, at certè vt conuincat, eam nec non rationalitatem ex vero affirmari posse de humanitate: hæc enim illas non re modo sed etiam ratione includit. Vterius animalitas est ratio quædam communis & non singularis: habet ergò aliqua inferiora sibi proxima, & immediata, de quibus verè possit enunciari: ea verò quamnam obsecro sunt nisi humanitas, & equinitas? potest igitur ac debet animalitas de eis, verè prædicari. Profectò iuxta contrariam sententiam animalitas esset, & non esset ratio superior: esset, vt omnes habent in confello: non esset, quia de nullis inferioribus immediatè prædicabilis: quemadmodum autem id quod potest de aliquibus inferioribus sibi immediatis verè prædicari, nequit esse indiuiduum, aut ratio singularis; ita è regione quod de nullis inferioribus sibi immediatis verè prædicatur, cuiusmodi secundum aduersarios est animalitas, id nequit esse ratio superior, & vniuersalis. Denique humanitas, & equinitas haud sunt primò diuersæ, sed potius in aliquo prædicato vtrique communi vniocè conueniunt, aliàs ne homo & equus eam haberent conuenientiam: quo pacto, nisi albedo, & nigredo vniocè participarent rationem coloris, sanè album, & nigrum neutiquam possent in ratione colorati vniocè conuenire: quodnam autem esse potest illud commune prædicatum, in quo humanitas, & equinitas vniocè conueniant nisi animalitas, aut aliud abstractum id genus? Dices, esse non animalitatem, sed rationem transcendentem entis, aut rei, quippe apud aduersarios nihil est celebrius, quam hanc prædicationem, humanitas est res quæ est animalitas, & alias similes esse veras: cæterum in primis eorum non pauci censent, rationem entis & rei esse non vniocam, sed analogam: Deinde si lubet esse vniocam, inde potius sequitur quod intendimus, nempe animalitatem etiam esse rationem vniocam respectu humanitatis & equinitatis: qui enim fieri potest, vt conceptus remotus, & vniuersalior sit vniocus respectu aliquorum inferiorum, quin eorundem etiam contemplatione sit vnioca ratio inferior, & immediata tamen è contrario fieri quandoque possit, vt ille sit analogus, quin hæc talis sit, sed potius vnioca? Sic iuxta omnes repugnat hominem, & equum v. g. vniocè conuenire in ente aut substantia, quin ita conueniant in animali sibi pro priori, quamuis è conuerso conueniant iuxta non paucos analogice in ente, non tamen in animali. Quocirca vt dictum est, si humanitas, & equinitas conueniunt vniocè in conceptu entis, aut rei, magis est vt similem conuenientiam habeant in animalitate, quæ vtramque propius contingit.

4. Assero secundo: abstracta substantiarum in sensu formali, & reduplicatiuo modo verè, modo falsò inuicem prædicantur. Ita Fonseca lib. illo 5. metaph. c. 28. q. 13. Hurt. vbi suprâ, & alij per plures. Probat, & declaratur ex dictis: hæc propositiones: rationalitas formaliter est animalitas, animalitas in quantum animalitas

animalitas duntaxat est humanitas, aliaque similes, sunt omnino falsæ, nimirum quia faciunt sensum formalem, nec solam identitatem realem, quæ datur, sed identitatem rationis, quæ earum extrema carent, affirmant. Sic hæc propositiones; Deus voluntate intelligit, intellectu amat, misericordia punit, iustitia condonat, necnon etiam istæ; attributum æternitatis est attributum immensitatis, & unitatis est bonitatis, aliaque id genus, à Theologis communiter iudicantur falsæ, propterea quod non in resola sistant, sed ad modum eius concipiendæ se extendant, ac rationes identitatem enuntient. Sic etiam eodem nomine concreta ipsa substantialia formaliter ac reduplicatiuè sumpta nisi falsò non prædicantur inuicem: nemo enim Realium has propositiones negabit esse falsas; animal in quantum animal est rationale, animal formaliter ac ratione nostra est hinnibile, hoc propterea tale, & quoad conceptum suum vltimum animal superadditum est animal, rationale similiter sumptum est animal. Cæterum hæc prædicationes sunt veræ, humanitas formaliter, ac ratione nostra est animalitas; rationalitas, in quantum rationalitas, est humanitas, eamvè quidditatiuè cõstituit; necnon harum conuertentes. Recte ergò positum est assertumque, abstracta substantiarum, de abstractis eiusdem generis secum realiter identificatis, interdum falsò, interdum verè adstrui.

Quod attinet ad concreta, & abstracta secundæ intentionis comparata tum inter se, tum etiam cum concretis abstractisque primæ intentionis; tandem tertio assero: hæc prædicationes sunt veræ, homo est species, animal est genus: hæc falsæ; homo est specieitas, ut ita loquar, haud enim aliud vocabulum suppetit; animal est genereitas: hæc verè albedo est species, color est genus: item hæc similiter, animalitas est genus, humanitas est species, rationalitas est differentia: hæc verò falsæ, genereitas est specieitas, specieitas est genereitas: hæc autem veræ, genereitas est vniuersalitas, specieitas est vniuersalitas: deinde hæc genereitas est genus, specieitas est species, veræ aut falsæ propterea genus, & species naturam genericam, & specificam in recto, & formam intentionalem in obliquo, aut è contrario inuoluit: denique hæc veræ, genus respectu quorundam inferiorum, est accidens respectu aliorum, v.g. coloratum est genus comparatione albi, & nigri, accidens verò, si cum aliquo subiecto secundum se sumpto comparetur. Hæc assertio quoad omnes suas partes, dempta ea, qua statui-mus, abstracta substantiarum esse genera, species, & differentias, de qua capite sequenti, ea inquam exempta & insuper ea, qua posuimus genereitatem esse genus, & specieitatem esse speciem, quando genus & species eiusmodi formas intentionales important in recto, secus verò quando non eas sed naturam genericam & specificam in recto concernunt; est P. Rubij tractatu illo de natura entis rationis, qui est ante cap. 2. de gen. & aliorum omnium authorum; estque per se, ac sponte sua perspicua: necnon ex dictis supra lib. 3. tract. 3. cap. 3. ibi eni-m latè & ex professo ostensum est, quid concreta accidentalialia, siue primæ, siue etiam secundæ intentionis important in recto, quid in obliquo, quid intrinsecè, quid extrinsecè & tantum connotatiuè. Ex modo autem, quo eiusmodi concreta includunt partes suas, dependet modus illa prædicandi, aut de se inuicem, aut de abstractis, formisve suis, necnon etiam subiectis. Videnda etiam sunt, quæ disputauimus tract. 2. huiusmet libri cap. 3.

C A P V T II.

Proponuntur, & dissoluuntur argumenta aliqua contra assertiones capitis precedentis.

Atque in primis abstracta substantiarum, siue æqualia sint, siue inæqualia, ac superiora, vel inferiora non posse inuicem verè prædicari; aut absolutè, contra quam statuimus assertionem primam, aut à fortiori adiecta particula, in quantum, formaliter, aliave simili, contra quam deliberauimus assertionem secundam, tuentur Beatus Thomas 4. contra gentes cap. 87. & opusculo de ente, & essentia cap. 3. & 4. Caietanum cum eo hoc posteriori loco, & Ferraratum priori, tum etiam primo contra gentes cap. 18. & 23. Scotus in 1. dist. 2. quæst. 7. communiter eius asseclæ Canariensis 1. part. quæst. 28. art. 2. disp. 2. Niphus 3. metaph. quæst. 2. conclus. 5. Suarez tom. 1. metaph. disput. 6. sect. 10. Rubius tract. illo de nati-ent. rationis iterum iterumque citato. Amicus de vniuers. tract. 4. q. 9. dub. 5.

Probatum autem hæc opinio, & nostra improbatum, primo talem in modum: nequit idem prædicatum poni per intellectum verè in aliquo subiecto, & simul ab eo per intellectum abstrahi; sicut per informationem, durationem, vocationem, nequit aliquid esse physicè, & simul non esse in alio velut subiecto, tempore, aut loco: at duo illa semel contingerent, si qua propositionum earum, de quibus controuertitur, esset vera: nam cum dicitur, humanitas est animalitas, hæc in primis ponitur iuxta nos verè in humanitate, quippè de qua verè prædicatur; deinde simul ab ea abstrahitur per intellectum, quoniam sumitur, ut abstractum quoddam: par autem ratio est cæterarum prædicationum, de quibus est quæstio; omnes ergo sunt falsæ, tum absolutè sumptæ, tum à fortiori, si qua earum particulam aliquam reduplicatiuam adiciat.

Secundo probatur eadem opinio: nulla pars, quatenus talis, potest de toto prædicari: tum quia hæc de causa hæc propositio est falsa, homo est anima: tum quia nè ipsum animal posset verè prædicari de homine, & reliquis inferioribus, nisi esset totum quoddam potestatiuum ea virtualiter, & implicite continens; atqui animalitas, propterea talis, non habet rationem totius continentis quodammodo species, & differentias, sed potius partis, aut formalitatis cuiusdam respectu illarum: haud enim nisi pars potest à toto abstrahi; animalitas autem est abstractum quoddam: nequit ergò de humanitate, rationalitate, aliisve speciebus, ac differentiis, in abstracto sumptis verè prædicari, aut hæc de illa: quo fit, vè omnes enunciationes in controuersia positæ sine proflus falsæ, ut inueniuntur constabit.

Rursus tertio suadet eadem opinio, quoad quatuor priores propositiones, nempe has humanitas est animalitas, humanitas est rationalitas, earumque conuertentes: siquidem hæc prædicatio, equinitas tantum est equinitas, iuxta Auicennam, quem sequuntur omnes, est vera: equinitas ergò nec est animalitas, nec hinnibilitas, aut è conuerso; aliàs non esset tantum equinitas: quod ergo perinde est, humanitas non est verè animalitas, nec rationalitas, aut è diuerso. Vltimus quartò suadet eadem sententia, quoad easdem quatuor prædicationes controuersias præsentis: rationalitas nequit prædicari de humanitate velut differentia: huius enim proprium est, prædicari in quale, adeoque per modum alteri

adiacentis, illudque quodammodo determinantis, & consequenter in concreto; siquidem hæc tria in idem concurrunt: rationalitas ergo, ut dictum est, nequit prædicari de humanitate, tanquam differentia, cum sit abstractum quoddam: ergo nec tanquam eius pars: ac proinde, cum dicitur, humanitas est rationalitas, quod significatur per hanc propositionem est, rationalitatem esse totam, & adæquatam essentiam humanitatis, hoc autem est manifestè falsum: ergo & est falsa ea propositio: ergo & similiter hæc; humanitas est animalitas: omnes enim utramque iuxta habent; ergo & utriusque conuertentes pariter erunt falsa adeoque quatuor, de quibus agimus. Quin etiam eodem argumento confici posse videtur, has propositiones etiam esse falsas, animalitas est rationalitas, rationalitas est animalitas: nec enim illa huius differentia esse potest, nec consequenter hæc illius genus: aliter autem altera nequit de altera prædicari verè, aut è conuerso, nisi instar generis, & differentia.

Enimverò duas illas ultimas propositiones præfenti subiectas controuersias veras esse non posse planius, ac facilius probari solet hoc argumento, quod est ordine quintum: Termini abstracti important non tantum res ipsas, sed earum etiam rationes formales per intellectum præcisas, ut constat ex abstracti proptè à concreto distincti etymologia: quoties ergo prædicantur inuicem, propositiones, quibus constant, identitatem rationis affirmant, ac sensum faciunt, non identicum, sed formalem: at hæc propositio, animalitas, & hæc etiam rationalitas est animalitas, eo sensu sunt falsæ iuxta omnes, ac proinde, cum alium non admittant, verè nunquam esse poterunt. Denique sexto probatur aduersaria opinio, quoad duas ultimas propositiones: quoniam in illis sumuntur animalitas, & rationalitas ut abstracta quædam: abstractio autem, ac distinctio rationis gradus generici est potissimè à differentiali, & huius ab illorum ergo animalitas, quam rationalitas accipiuntur in prædictis propositionibus velut inuicem abstractæ, & condistinctæ ratione nostra: animalitas ergo præcisè proptè est animalitas, & rationalitas simili modo in iis sumitur, ac prædicatur: alterutra ergo in sensu formali, ac reduplicatiuo, & velut cum altera non re modò, sed etiam ratione eadem enunciat: Ita verò fieri nequit, quin ambæ enunciationes sint veritatis expertes.

Hæc potissima contrariæ sententiæ argumenta, quæ ni splendide fallor, apertam patiuntur instantiam, Etenim pleraque eorum inde vim suam, & efficacitatem sumunt, quod termini substantiales, de quibus est sermo, sint abstracti, sumanturque ut partes, non vero alicuius totius instar: quocirca cum abstracta accidentium sint vera, ac propria ratione abstracta, & accipiuntur instar partium quarundam, videtur similiter ea inuicem haud posse ex vero prædicari, atque has propositiones esse falsas, albedo est color, hic est qualitas: item si, quod aliqui putant, albedo sit quanta per seipsam, & non per quantitatem à se distinctam, nihilominus hanc prædicationem esse falsam, albedo est quantitas: & similiter hanc fore falsam, albedo est dulcedo, etiam si utraque esset eadem realiter, & non diuersa qualitas, ut modo: sunt enim qui ambas in alia rerum serie indistinctas, & alterius quam nunc genij esse posse existiment.

Respondent primum cum Scoto eius sectatores, & aliarum etiam sectarum quidam scholastici, abstracta alia esse eiusmodi abstractione ultimata, quædam verò abstractione non ultimata: abstracta prio-

ris generis sunt, quæ abstrahuntur, tum à subiecto, suppositivè, tum etiam ab inferioribus, sic ut de neutris possint verè prædicari, aliudque non inuoluant, quam quod ipsis est quidditativum, & essentialiale: dicitur talis abstractio ultimata, quoniam non est dare aliam maiorem, aut vltiorem: abstracta posterioris generis sunt, quæ quidem à subiecto, suppositivè, non tamen ab inferioribus abstrahuntur, nec ista perinde ac illud excludunt: posteriori hac abstractione gaudent abstracta quædam accidentium, veluti albedo, color, qualitas: unde mirandum non est, quod prædicantur inuicem: priorem vero abstractionem amant abstracta omnia substantiarum, cuiusmodi sunt animalitas, rationalitas, humanitas, &c. quare nihil mirum, si non affirmantur inuicem; haud aliter atque etiam abstracta quædam accidentium videlicet ultimata, cuiusmodi sunt albedinitas, coloritas, & similia nequeunt inuicem affirmari.

At mihi displicet magnopere hæc doctrina, cum P. Fonseca citata illa q. 13. sect. 4. & plerisque scholasticis extra Scoticam disciplinam: primum enim, cur, sicut animalitas est natura animalis præcisa ab inferioribus, non sit etiam albedo forma albi præcisa ab inferioribus suis? sed animalitas, propter eam præcisionem, seu abstractionem, qua maiorem aliam facile haud reperias, est abstractum quoddam ultimatum: ergo & albedo, propter eandem præcisionem. Rursus è contratio, sicut color: v.g. est iuxta aduersarios accidens proptè abstractum à subiecto ab eoque distinctum, coloritas verò idem accidens proptè ab inferioribus etiam abstractum; quo etiam pacto secundum eodem habent se albedo, & albedinitas, lux & luciditas: cur non animalitas pariter sit natura animalis, quatenus condistincta solum ab eius substantia suppositivè, animalitas sit verò eadem natura animalis abstracta, tum ab eius substantia, tum etiam ab inferioribus? aut cur non sit etiam abstrahere ab homine tam humanitatem, quam etiam humanitatem, & ab equo equinitatem, atque equinitatem præterea: nam si res spectes, par earum utrobique ratio; sin autem voces, haud magis barbaræ, ac portentosæ sunt hæc, quam illæ ab aduersariis confictæ, atque in usum versæ, aut potius abusum.

Tertio animalitatem esse abstractum ultimata abstractione, aut est animalitatem absolute abstractam, tum à supposito, tum etiam ab inferioribus; atque ita color etiam erit abstractum ultimatum, cum procul dubio sit genus, & abstrahatur absolute non tantum à supposito, sed etiam à suis inferioribus; aut quod de aduersariorum mente magis esse reor, animalitatem esse abstractum ultimatum est, eam reduplicatiue abstrahi, ita ut animalitas sit non tantum natura animalis abstracta ab inferioribus, sed sumpta proptè ita abstrahitur, & particulæ alicui supra abstractionem reduplicanti subiaceat: atque hoc sine illa videtur ratione consistere: cur enim hæc vox, animalitas, magis quam color, albedo, viuersalitas, Beatitas, aliæque similes accidentium notiones, & naturam rei, & eius reduplicationem præterea significet?

Alij respondent cum nostro Suarez, nullum esse discrimen illud inter abstracta substantiarum, & accidentium à Scotistis constitutum, eaque potius esse eiusdem rationis, si cum proportionem sumantur: sicut enim, aiunt, albedo est abstractum à subiecto, suppositivè, necnon etiam à composito per accidens, quod cum illo constituit, albo nimirum; ita similiter anima substantialis est abstractum quoddam

dam à corpore, & etiam animali, animatõe, & quemadmodum albedo abstractionis eius merito excludit duntaxat suppositum, cui inest, & album quodamodò, ac de neutro potest predicari, nõ de illo propter distinctionem ab eo adæquatam, non etiam de hoc, propter distinctionem ab eo inadæquatam, seu partis à toto: at eadem albedo nihilominus de suis inferioribus, hunc in modum albedo Petri est albedo, albedo Pauli est albedo, &c. ita beneficio similis abstractionis anima exercet à se corpus & animal, ac de neutro potest enunciari; at bene de suis inferioribus, talem in modum, hæc forma est anima, anima rationalis est anima, &c. Vltimus vti albedinitas est abstractum quoddam inferiora excludens, natura videlicet aut formā albedinis, quatenus præcisè talis, quin possit dici, albedo est albedinitas, color est coloritas, lux est luciditas, &c. ita quid mirum, si animalitas v. g. sit abstractum quoddam inferiora cuncta excludens, pura videlicet ac puta animalis natura, adeoque prohibeat, ne dici possit ex vero, humanitas est animalitas, equinitas est animalitas, rationalitas est animalitas, &c. atque quoad hoc posterius fatentur hi authores se à doctrina Scoti nequitiam dissidere. Quæ cum sit à nobis superius satis improbat, vel eo nomine præsens illi innixa responsio nequit nobis probari. Illud etiā magnopere non aridet tum in ea, tum etiā in priori responsione, quod utraq; abstractione vltimatam explicet per præcisionem rei ab inferioribus, animalitatis, v. g. ab humanitate, equinitate, earumque differentis, & non præterea ab æqualibus, & inferioribus: quod enim horum etiam ratio haberi debuerit, constat: nam rationalitas, v. g. est abstractum quoddam vltimatum respectu animalitatis se superioris, & risibilitatis sibi æqualis, ita ut iuxta aduersarios neutri possit subici, aut de neutra verè predicari. Sed aggrediamur argumentorum, quæ nobis sunt obiecta, solutionem.

15 Ad primum dicendū est, illud haud magis probare, quod abstracta substantiarum de abstractis suis, quam quod earundem concreta de concretis sui generis verè nequeant enunciari: nam animal. v. g. quamvis concretum, tamen abstrahitur à suis inferioribus, homine scilicet & equo: aut igitur de neutro vere poterit affirmari, aut certe erit, ut per intellectum sit in aliquo subiecto, à quo per eundem simul abstrahitur: viderint aduersarii, quid responderi possit huic difficultati, atque id sibi dictum putent. Insuper respondeo absolute, animalitatem v. g. esse in humanitate, & simul ab ea abstrahi, iuxta nostra principia; aliter tamen, & aliter: siquidem est in ea per noticiam comparatiuam, & abstrahitur ab illa per aliam realiter, aut virtualiter distinctam, haud comparatiuam, sed abstractiuam: item est in ea per identitatem realem propositione enunciatam, & abstrahitur ab illa, non per negationem eius identitatis, sed per solam distinctionem, ac præcisionem rationis cum identitate reali compossibilem: hæc autem nullam contradictionem inuoluunt, quemadmodum contradictoria nequitiam sunt, quod forma sit in materia velut subiecto per vnionem, non verò tanquam loco, aut tempore per vicationem vel durationem: aut quod è contrario forma aliavè res sit alicubi temporis, aut loci, vbi nequaquam velut in subiecto. Atque hoc modo ceteris propositionibus disputationi nostræ subiectis fieri potest satis, quippe quæ difficultatem habent eandem.

16 Ad secundum argumentum respondeo, illud etiam in concretis infringi: ut enim de ceteris ta-

ceam, an non animal est pars quædam hominis, de quo verè predicatur? quod si simul totum potestatum respectu illius, quidni etiam tale sit animalitas humanitatis gratia? ulterius: hæc propositio, aliquod album est paries, est vera, cum tamen paries sit pars albi, non verò ipsum totum: falsum ergo est, quod pars est non totum comparatione alicuius, haud posse de eo verè predicari. Dicunt aliqui aduersariorum, cum nostro Rubio superius citato, illud predicari velut totum non partem, quod predicatur instar habentis quod est in subiecto; eiusmodi autem esse parietem respectu albi, & animal respectu hominis, & vniuersim quoduis predicatum respectu subiecti, de quo verè dicitur: at nullum abstractum substantiale predicari tanquam habitum. Sed, ut ab hoc vltimo incipiam, id quod probatur? non certè ex definitione termini abstracti: quæ ab aduersariis allegatur, & est huiusmodi; terminus abstractus est qui significat rem per modum partis, & consequenter habitæ, non habentis: tum quia inde fieret, nè abstracta quidem accidentium posse inuicem predicari, vocibus enim terminisque sibi impositis significantur instar partiū, & velut habita magis quā habentia: tum etiam quia definitio illa tantum constituit, abstracta omnia, & accidentiū, & substantiarum, respectu concretorum se habere velut partes, & haberi magis quam habere: ad summum igitur arguet, abstracta de concretis non posse verè predicari, secus verò de abstractis, comparatione quorum partes haud censentur: tum denique quia ne de concretis abstracta vlla dici non posse colligitur ex ea definitione: quid enim vetat, animalitatem v. g. esse partem quodammodo constitutiui animalis, sicut termini abstracti definitio postulat, & simul esse illius contemplatione totum, non in constituendo, sed in predicando, qualem ipsi aduersarii dicunt esse totalitatem parietis respectu albi, cum profertur hæc propositio, aliquod album est paries. Atque hæc prima eius euasione præclusio. Secundò autem, quid manifestius quam parietem de albo dici, tanquam quod ab eo habetur & in eo continetur; non velut quidpiam illud habens continenque, sicut comminiscuntur ij, quibuscum disceptamus? Terzio, forma physica potius habetur à materia, quam eam habet: eodem ergo modo se gerit forma intentionalis, cuiusmodi est predicatum, respectu subiecti siue materiæ intentionalis. Absolutè ergo respondeo, animalitatem, tametsi sit pars humanitatis, posse tamen de ea verè predicari, propter earum realem identitatem, paremque esse rationem quorumvis aliorum abstractorum.

17 Nec obstat in primis exemplum animæ: quippe quæ non idè est inepta de homine predicari, quia est eius pars, sed quia distinguuntur realiter adæquatè ab homine puro: de quo in Metaph. vel si contrarium placet, quia homo non potest non dicere in recto vel naturam humanam, vel substantiam vel vtramque; cum ex iis non minus componatur, quam album ex substantia parietis & albedine, quas vel ambas, vel alterutram necessario dicit in recto. Cum ergo anima non possit predicari de substantia in recto sumpta, ob distinctionem realem adæquatam ab illa, nec de naturā humanā eodem etiam usurpata modo, propterea quod id foret eam predicari de corpore à se realiter distincto, & in natura humana, ut supponitur: incluso, per identitatem atque in recto, cum, inquam, hæc ita se habeant, nil mirum si non possit anima de homine vere predicari. Quandoquidem ergo non ob id nequit de eo predicari, quia vtrumque est eius

pars,

pars, fieri sanè poterit, vt animalitas de humanitate, & rationalitate verissime prædicetur, vt vt sit pars, & non totum respectu vtriusque: pars, inquam constituens humanitatem, & respiciens rationalitatem: siue, quod perinde est, eius compar. Ex dictis etiam num. præc. patet, posterius exemplum argumenti contrarij ab animali desumptum non valere. Neque enim ideò præcisè animal potest de homine prædicari, quia est respectu illius totum potestatiuum, & non vera pars; cum paries respectu albi non sit totum potestatiuum, sed pars, & possit de eo prædicari. Adice ad vtrumque exemplum Adversariorum dici posse, quod animalitas respectu humanitatis sit strictissime totum potestatiuum.

18 Ad tertium argumentum respondeo, celebrem illam propositionem ab Auicenna primò traditam, & à cæteris postea receptam; equinitas videlicet est tantum equinitas, communiter & optimè explicari, non ita vt equinitas animalitatem excludat, sed ita vt vnitatem, & multipliciter in inferiorum ratione nostra excludat, & ab vtraque per intellectum præscindatur: perperam ergo ex eo colligitur axiomate, hanc prædicationem esse falsam, equinitas est animalitas, aliamque quamuis similem. Ad quartum: infra constabit, rationalitatem esse differentiam tum humanitatis, tum etiam animalitatis. Deinde esto non sit, quid inde? erit certè respectu illius principium differentie, & hoc sufficiet, vt non dicatur de ea velut tota, & integra eius essentia; item vt non sit nulla prædictio rationalitatis de animalitate, aut è conuerso.

19 Ad quintum respondeo, illud etiam labefactari in concretis cæterorum ritu: nam etiam animal v.g. haud significat totam essentiam hominis: ergo quandam eius formalitatem ab alia videlicet rationali præcisam; & tamen de hoc illud verè prædicatur, & ediuersò: termini ergo abstracti, quales sunt animalitas, & rationalitas, quamuis significant non res ipsas penes se totas, sed earum formales, ac præcisas rationes, non propterea sequetur, quod non possint inuicem verè prædicari. Quinimò contrarium potius deberent aduersarij ex eo inferre principio: quoties enim non totæ res, sed earum quedam rationes per intellectum præcisè affirmantur inuicem, & conferuntur inter se, magis est vt earum identitas realis cum ea præcisione composibilis, quam identitas rationis cum ea impossibilis adstruatur: sic enim omnia optimè sibi coherant, & veritas propositionum, quæ quoad eius fieri potest, defendi debet, facta tecta remanet.

20 Ad sextum argumentum, quod à superiori ferè nihil differt, similiter respondeo. quemadmodum hæc prædicationes sunt veræ, animal est rationale, rationale est animal, quamuis concreta, de quibus sunt, abstrahantur inuicem, ita abstractionem, ac distinctionem rationis animalitatis à rationalitate, & huius ab illa, non obesse, quominus possit mutuo prædicari absque vllò veritatis præiudicio. Quod si aduersarij respondeant, animalitatis, ac rationalitatis abstractionem haud esse absolutam, sicut concretorum, sed reduplicatiuam, vt perinde sit animalitas, ac natura animalis prout est talis præcisè, hoc quidem admissio principio, nulla erit nostra responsio, & prædicationes, de quibus agimus, semper efficient sensum formalem, & reduplicatiuum, & non tam realem identitatem, quam rationis affirmabunt. At quod eiusmodi principium sit commentitium, satis superius ostendimus.

21 Postrema tandem ac tertia assertio nostra est pa-

rum operosa, quoad plerasque partes suas, vt iam dictum: quoad alias autem particulas nonnullis quidem difficultatibus est obnoxia; at quibus factum est satis suo loco, eo nimirum quem cap. præc. ad eius finem citauimus: superest ergo ab obiectionibus vendicanda ea illius assertionis pars, qua statuiamus, abstracta substantiarum esse posse genera, species, & differentias. Contrarium enim docet B. Thomas lib. 7. metaph. lect. 5. his verbis; *quod quid est esse, id quod definitio, significat. Vnde cum definitio prædicatur de definito, oportet quod quid est esse de definito prædicari: non igitur quod quid est esse hominis humanitas, qua de homine non prædicatur, sed animal rationale, mortale. Humanitas enim non respondetur querenti quid est homo, sed animal rationale & mortale. Sed tamen humanitas accipitur vt principium formale eius, quod est quod quid erat esse, sicut animalitas sumitur vt principium generis, & non genus, rationalitas vt principium differentie, & non vt differentia, idem habet de ente & essentia cap. 3. & Caietanus ibidem, necnon Capreolus in 1. dist. 4. quæst. 2. art. 1. & alij sectatores, item Scotus in 1. dist. 2. quæst. 7. cum suis. Rubius loco supra citato; referri etiam solet Auicenna tract. 5. metaph. c. 6. qui tamen de solis differentiis sermonem habet, non de generibus, aut speciebus.*

Mouentur autem hi authores: primò, quia genera species, & differentie possunt, & debent verè prædicari de suis inferioribus: ergo si animalitas v.g. est genus, & humanitas species, & rationalitas differentia singulæ poterunt verè affirmari de abstractis sibi subiectis: at nequeunt propter rationes huius initio initio capitis propositas. Secundò; quoniam differentia prædicatur in quale quid: ergo per modum alteri adjacentis, adeoque in concreto, siue connotatiuo, non verò in abstracto: vnde cum rationalitas non nisi in abstracto possit enunciari, haud poterit esse differentia: quare nec animalitas genus, nec humanitas species: huius enim speciei differentia constitutiua, & illius generis diuisiua esset rationalitas, cuius tamen contrarium manet iam probatum. Tertio, & recidit in idem; differentia debet prædicari conceptu respondente nomini adiectiuo, alioqui neutiquam prædicanda in quale, sed duntaxat in quid, instar generis, aut speciei, vt hoc ipso lib. tract. 5. ad finem à nobis constitutum est: at rationalitas non adiectiuè, sed substantiue enuntiatur: haud ergo velut differentia poterit enunciari, ac proinde nec animalitas velut genus, nec humanitas velut species, vt argutum paulo supra.

Cæterum abstracta substantiarum esse posse genera, & species respectu suorum inferiorum docent Fonseca citato lib. 5. metaph. cap. 28. qu. 13. sect. 4. Gilius lib. 2. tract. 7. cap. 5. Tellez part. 1. sum. disp. 6. sect. 2. num. 18. Suarez supra sect. 10. ibi enim tandem concedit animalitatem, cum quadam distinctione, & reduplicationis expressa exclusionem, posse verè prædicari de humanitate, & hanc de suis inferioribus, atque ita alteram esse genus, & alteram speciem. Verum enimvero hi omnes negant, rationalitatem, aliudve abstractum substantiale eiusmodi, esse differentiam, propter rationes superius adductas: quo tamen iure, qua doctrinæ consequentia, vtantur hac exceptione, haud satis assequor: quocirca ea reiecta doctrinæ vniuersali superius traditæ insisto, eamque probò, hunc in modum.

Christus Dominus assumpsit humanitatem in atomo, siue in indiuiduo, vt ex Damasceno docent omnes Theologi: humanitas ergo Christi est indiuiduum quoddam: non alterius speciei quam humanitatis,

ratis in communi: hæc ergo est species: id quod etiam ita potest suaderi à priori: species est quod prædicatur de pluribus solum numero differentibus in quid: sed huiusmodi est humanitas in commune respectu huius & illius. Iam animalitatem esse genus suaderetur: tum à pari: cur enim humanitas sit species, & non illa genus? tum etiam, quia genus est id quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid: talis autem est animalitas contemplatione huius, & illius, humanæ scilicet, & equinæ. Hinc etiam probatur, rationalitatem esse differentiam: nam humanitas cum sit absolutè species, aliqua differentia constituitur, at non alia, vel certè nulla melius, quam rationalitate: item animalitas, cum sit genus aliqua differentia contrahitur; atque diuiditur, quæ quidem nequit non esse rationalitas sola, vel quidem ea potissimè: rationalitas ergo duplici ex titulo est differentia.

25 Responderi communiter solet, differentiam constitutiuam humanitatis, & contractiuam animalitatis esse non rationalitatem, sed rationale, vt perinde sit humanitas, atque animalitas rationalis, non verò animalitas, rationalitas, sicut albedo, quæ est abstractum accidentale, habet nihilominus concretum quoddam loco differentia, definiri enim solet, non color disgregatio visus, sed color disgregatiuus visus. Verum, vt ab hoc postremo impugnationem ordiatur, idcirco disgregatio visus haud est differentia albedinis, quoniam ab ea distinguitur realiter, eiusque verus est effectus: at rationalitas verè, & realiter nec distinguitur, nec efficitur ab humanitate: eius ergo differentia esse sustinet. Secundò, iuxta non paucos aduersarios nulla concreta de abstractis possunt verè prædicari; at, si humanitas est essentialiter animalitas rationalis, rationale adiacebit animalitati non minus quam animalitati, ac proinde de ea potest prædicari, quantumlibet sit concretum, & illa abstractum quoddam. Tertio, fieri non potest: vt homo v.g. & non humanitas sit species, aut animal genus & non ex æquo animalitas: vbi ergo rationale sit differentia animalitatis, & humanitatis, huius scilicet constitutiuæ, & illius contractiuæ, talis etiam non esse non poterit rationalitas. Quarto tandem, rationes ob quas negatur, rationalitatem in abstracto esse differentia, secus verò in concreto, nullius esse momenti statim clarebit: aut igitur altero tantum modo videlicet abstracto, aut, quod arbitror non improbabile, utroque, debet esse differentia, qua constituitur humanitas, & diuiditur animalitas ea superior.

26 Quod ipsum probo sic: humanitas differt ab equinitate, & quauis alia natura sensibili: at non merito animalitatis: ergo rationalitatis solius: hæc igitur est differentia humanitatis, cum faciat eam differre ab alia quacunque natura: Dices per rationalitatem, non formaliter, sed causaliter differre humanitatem à natura equi, & quauis alia, eamque adeò non esse differentiam, sed principium differentia, vt cum Auicenna tradunt plerique scholastici. Quo tamen minus hanc solutionem satisfacere putem, tale facit argumentum: rationale saltem est differentia, vt nemini dubium: at vi illius non differt homo ab equo formaliter, sed veluti causaliter: siquidem alter ab altero differt formaliter per relationem differentia seu dissimilitudinis, hæc autem

non est rationale, sed in ea fundatur, & ex illa resultat, aut tanquam modus, aut tanquam complexio quædam præter rationale aliud etiam extremum inuolvens more cæterarum relationum prædicamentaliū: quamuis ergo non formaliter sed causaliter differat humanitas ab omni alia natura vi rationalitatis, hæc nihilominus illius erit differentia, & ita merebitur appellari.

27 Quæ autem huc vsque singulatim probata est doctrina, ea semel potest suaderi exemplo per quam appposito, & nobis familiari: uam abstracta accidentium iuxta omnes sunt genera, species, & differentia: qualitas v.g. est prædicamentum, adeoque supremum genus: color similiter est genus, respectu nigredinis, & albedinis: istarum etiam quæuis est species, contemplatione suorum inferiorum: huiusmodi quoque, & aliarum plurium specierum differentia, tametsi concreta quædam fortassis sint vocetenus quod ne semper vsuuenit, cum multoties eadem vox speciem, & differentiam indiget, at re ipsa abstracta sunt more ipsarum specierum, cum non minus quam hæc, imò magis sint simplices: quid est ergo, cur similiter abstracta substantiarum non possint esse genera, species, & differentia? Cæterum opus est, vt tribus argumentis contrariis nuper positis respondeamus.

28 Ad primum dicendum est, quod abstracta substantiarum, siue genericæ, siue specificæ, siue differentia, de abstractis quibuscumque se realiter indistinctis verissimè prædicentur, hoc à nobis abunde probatum esse superius, nec nouam confirmationem postulare: ea ergo propter non esse, cur genera, species, & differentia non minusquam concreta censeantur. Ad secundum dicendum est, eo ad summum probari, rationalitatem v.g. non esse differentiam: perperam autem inde ulterius inferri, animalitatem à ratione generis, humanitatem à ratione speciei excludendas esse; quasi verò nulla possit assignari differentia alterius diuisiua, & alterius constitutiuæ, præter rationalitatem: quidni enim rationale sit earum differentia, duoque illa munera exerceat? Quamuis autem hoc probabile sit, vt prædiximus, non tamen necesse: verius enim est eo argumento nequaquam conuinci, quod rationalitas differentia rationem non obtineat: siquidem vt prædicetur in quale, & instar alteri adiacentis non est opus, vt in concreto enunciatur, sed abunde est, vt in obliquo, quamuis in abstracto: talem videlicet in modum; humanitas est animalitas rationalitatem habens, aut per eam contracta. Fortassis etiam ad id sufficiet, quod sit minus vniuersalis, quam genus, eiusque latitudinem, & indifferenciam determinet, vt in recto prædicetur, hoc modo: humanitas est animalitas, ac rationalitas eam contrahens. Ad tertium argumentum similiter dicendum est, eius vim, si qua pollet, sola rationalitate v.g. coerceri, atque vt eam non esse differentiam efficiat, neutiquam tamen, quod animalitas non sit genus, aut humanitas species: Præterea verissimilius esse, illo non obstante, rationalitatem esse differentiam, vtque ea dicatur in quale, & non absolutè, sed connotatiuè, satis esse, quod aut in obliquo prædicetur, aut ita in recto, vt animalitatis vniuersalitatem, & indifferenciam haud exarquet, sed potius illam restringat, certosque præscribat ei fines, quos ultra citraque nequeat consistere.